MODUS.

JUVANDI MORIENTES.

—

Ingravescente morbo, Parochus infirmum frequentiùs visitabit, et ad salutem diligenter juvare non desinet; monebitque instante periculo se confestim vocari, ut in tempore præstò sit morienti; sumptoque Sanctissimo Viatico, et Sacra Unctione adhibita, si periculum immineat, statim commendationis animæ officium præstabit, de quo infrà. Sed si tempus suppetat, sequentia pietatis officia præstare poterit, si ità expedire judicaverit, pro conditione personæ.

Ac primò, si ægrotus Indulgentiam legitima auctoritate concessam consequi possit, eam illi reducat ad mentem, proponatque quid ad eam consequendam agi debeat, præsertim, ut contrito corde Sanctissimum Nomen JESU semel vel sæpiùs invocet.

Deinde hortetur infirmum, et excitet, ut dum mente viget, eliciat actus Fidei, Spei, et Charitatis, aliarumque virtutum, nempè:

Ut firmiter credat omnes articulos Fidei, et quidquid Sancta Romana Ecclesia Catholica et Apostolica credit et docet;

Ut speret Christum Dominum nostrum pro sua immensa clementia sibi fore propitium, et merito